

## PRAEFATIO EDITIONIS QUARTAE.

---

Quarta haec Sophoclis tragiciarum editio Lipsiensis similis est editioni Oxoniensi tertiae, quae tribus abhinc annis prodiit, in qua pauca retractanda, alia addenda mihi esse video, partim ab aliis partim ab me ipso postmodo animadversa. Haec igitur annotationibus infra positis inserui, in quibus locos ex critico-rum coniecturis mutatos indicavi, omissis tamen leviorum vitiorum plurimorum correctionibus nulli obnoxiiis dubitationi, quas hoc loco omnes repeti non fuit operae pretium. Inter locos vitiis affectos gravioribus, modo manifestis modo reconditoribus, quorum numerum aliquanto quam olim credebatur maiorem esse nemini hodie ignotum est, multi sunt ubi quid dicere vel debuerit vel potuerit poeta facilius est perspicere quam ipsa eius verba coniecturis quae certae haberi possint restituere. Nam quod in aliorum scriptorum operibus accidisse disertis veterum literatorum testimoniis compertum habemus, ut codicum antiquissimorum scriptura vel corrupta vel defecta ab incautis correctoribus in ordinem qualemcunque redigeretur et interpolaretur, idem Sophoclis tragediis, pariter ut Aeschy-leis et Euripideis, accidisse produnt loci non pauci correctorum parum peritorum manus experti. Qui correctores si hodiernorum criticorum more coniecturas suas literarum syllabarumve reliquias quae in codicibus antiquissimis supererant religiose accommodassent, non paucis in locis facile nobis fore ipsa fere poetae verba coniectura vel certa vel probabili restituere. Verum ab hac diligentia longe illi abs fuerunt, nec raro istiusmodi locos ita ad arbitrium suum refinxerunt ut scripturae genuinae vix umbra relictas esse videatur: quales versus qui eadem arte palaeographica, qua librariorum literas vel voces similes

a\*